

ZGODOVINSKI ZBORNIK.

PRILOGA

LJUBLJANSKEMU ŠKOFIJSKEMU LISTU.



—ooo Izhaja v nedoločenih obrokih. ooo—

Deseto leto.

Ljubljana, meseca decembra 1897.

Številka 41.

Libellus poematum sive carminum variorum generum Thomae Chrönn

Labacensis Carniolani LL. Candidati.

(Nadaljevanje.)

30.

*Ode sapphica, ad eosdem novos sponso. Prosopopaeios.
Viator, Mons Semring, Sponsus ac oppidum Schatvrienense,
inter se colloquuntur.*

Viator Mons decus terrae sobolem tenaci
ad Gloriam fastu parientis altam.
montem. Martium cuius veneratur omen
Pannonis ora:

Inde qui porgis niveum cacumen
Stiriae: illinc Austriadum profunda
Valle telluris spaciosa planans
Limina pandis:

Ecquid egisti, roseum sub umbra
Quod tua florem bene pullulantem,
Hunc tibi sponsum es viridi iuventa
Tollere passus?

Cum satis dorso, nivis atque dirae
Grandinis gestes, decor unde florum
Concidit vernans, foliumque tonsae
Labile fagi?

Mons ad Id tibi mirum videatur ô non
viatorem. Quisquis effundis querulas adempto
Flosculo voces, et amara pangis
Carmina plectro.

Nam licet tanto caruisse dono
Maereo: hoc unum levat indolentem
Quod sciam dignum mage cultiori
Munere sponsum.

Sponsus Sed cavis forsitan referes ab antris
ad Quod fefelli te scopulosa rupes,
montem. Finxeram quando procul hinc fugacem
Tendere gressum.

Non tibi fraudis phaleras latentis
Praebui radicibus ut sub imis
Carperem mollis temeratus Hyblae
Munus odorum.

Scrupeas inter recubans cavernas
Flosculum vidi simul ut decorum
Has dedi admirans tenero sonantes
Ore loquelas:

Spina si trux lilia gignit alba:
Inter hamatos rosa sique culmos
Nascitur: cur haec rosa non virescat
Colle sub isto?

Hinc mihi centum minitare motus
Asper horrendos; spoliū venustum
Ad meos (evax) propere secundos
Ferre penates.

Mons. Nonne te sponsum decuit ferocem,
Languidam aspectu satiare mentem?
Dum mihi flores glacialis aura
Abstulit omnes?

Sponsus. Invide (ah) quantum revocare coeptos
Niteris lusus thalamis beatis,
Lumina an quicquam facie iuvabit
Tingere pulchra?

Et rosam vidi, placuitque visam
Nubili aeternum sociare lege.
Hanc mihi servant miserata cursu
Fata sereno.

Hanc mihi servet chorus et Dearum
Quotquot ad Cynthum modulantur altum:
Quotquot et mulcent bifidum canora
Voce Helicon.

Affluent leneis rigui susurros
Pegasi fontes pedibus cavati
Ut virens semper maneat, nec ullo
Marceat aevo.

Te, licet celsum quatias Olympum
Culmine, halantem mihi si favorem
Abneges: perdam armipotens minaci
Fulmine Martis.

Tela te solum mea namque figent,
Inque te solum celeres sagittae
Accident, donec speculeris aequo
Vertice campos.

Ergo mi floris faveas honorem
Stant cui plures violae per imos
Vallium calles, iuga perque summa
Stant Hyacinthi.

Mons. Sponse tu magnos mihi fers labores,
Sponse tu maestos mihi das dolores,
Ah precor nobis tenerum rubentem
Linque rapinam.

Ipsae nam tristi nemus omne cantu,
Ipsae nam silvis gemitus sonabo,
Increpans fuis spoliatus udas
Questibus auras.

Lilia intactumque Amaranthon auferis,
Integram auferis laetitiamque brumae
Vixque stant paucae gelida rigentes
Fronde Myricae.

Tu tuum cingis speciose crinem
Flosculo, et quos roscidulo labello
Spirat, hos felix modo nare plena
Carpis odores.

Me iuvat densas humeris pruinas
Pendulis, canamque agitare vitam:
Dum fugit, cristis referens Sabaeum
Gramen animum.

Crede multarum iubar haec rosarum,
Et fuit raris speculum ligustris,
Nec dabunt partu mihi longa talem
Tempora florem.

Victus en forti studio superbae
Sponse virtutis, pietatis atque
Cuius hausisti teneris ab annis
Semina pulchra.

Victus et Tritonidis arte docta,
Victus et nacto Themidis galero.
Iam tibi florem faveo micantem
Virginitatis.

I, meis, sponse, exuviis triumphae,
Monte devicto statuens trophaeum,
I, tuis felix laribus beatam
Ponito praedam.

Oppidum Ferte foelices per amoena passus,
Schatu- lugera, o sponsi, comitante coetu,
viense ad Coelico, vobis radiant perenni
sponsos. Sidera cursu.

Firmet hunc Christus thalamum coruscus
Atque foecundet sobolis vigore:
Cernet hinc natos velut alma dives
Germina laurus.

31.

*Ad Reverendissimum in Christo Patrem D. Vincentium
Lehner, cum Abbas ad s. Paulum vallis Laventinae re-
nunciaretur, musice redditum Epigramma.*

Nescia serpere humi Virtus petit ardua semper,
Nec nisi supremo stat requieta gradu:
Hinc Lehnere gravi te culmine sistit honoris,
Praesulis ut nitido munere munus agas.
Altius et sistet (nec enim praesagia fallunt)
Ut tua trans solis regna trophaea loces.
Dii faveant coeptis, faveant foelicibus ausis,
Effectum tribuant, has et habere preces.

32.

Aliud ad eundem, cum carminis oblatione datum.

Carmina non riguis manantia fontibus antri
Cuius es auricomum, magne Lehnere, decus.
Sed damus (ingenue nec enim pudor esto fateri)
Edita coeniferis qua strepit Ister aquis.
Munera si spectes, nil sunt nisi nuda papyrus,
Ast animum magni, si metieris, erunt.
Exinium nostris columen fac vive Camoenis,
Quamdiu fata vel et vita modesta sinent.
Hae tibi se subdunt, pedibusque cadentia sacris
Orant patronam supplice voce manum,
Quas ubi more tuo, vultu facieque serena
Aspicias: te post semper in ore ferent.

33.

In libellum sodalitatis Georgii Wiesing praefatorium.

Quisquis in hunc lepidum dictis pictisque libellum
Scribi fraterno iure sodalis amas.
Sit tibi mens primum simulato libera fuco,
Fucus amicitias dedecet usque bonas.
Mascula sed nitido constantia ferveat ore,
Os et syncerum corde probante sonet.
Et malesuada gravis procul hinc detractio linguae
Pulsaque dent celerem scommata quaeque fugam.
Haec siquidem cruciant animum, mentemque fatigant
Illa sed ancipiti saevior ense ferit.
Alterius nec facta truci temerarius ausu
Iudicio in praeceps censor iniquus age.
Nam tibi si videas quam sit fors curta supellex
Fessa vel impendens mantica terga premat:
Improbata tabifici reprimens convitia dentis
Ingenio finges quemlibet esse bono.
Talis at innumeros moneo sis inter amicos,
Lege sodalitiis sic statuente sacri:
Ante fuit qui dulcis amor, ne tristis amaror
Vel sit amicitiae flebilis aura tuae.
Et non vilis erit placidae tibi gloria laudis
Hos inter quosquos picta papyrus habet.

34.

Ad eiusdem puerperae imaginem, in qua siderum speculator apponitur.

Aspicias a lachrimis, teneras uti carpinus auras,
Quando procellosae limen adimus humi:
Ipsa vel hic alto genitrix suspiria corde
Consternata malis ducat amara suis.
Scilicet ambiguae labentia tempora vitae
Mens tunc forte mali praescia, triste canit.
O tu qui patuli spectas vaga sidera coeli,
Si potes arte tua damna levare, leva.
Non poteris. Summus stellantis rector Olympi
Cuius et ad nutum volvitur, ille potest.
Nascere huic, vivis, moreris. Nam cuncta sub ipso
Facta salutifero stantque caduntque Deo.
Taliter ergo brevis currentia stamina vitae
Exige, quo, supera sede beatus oves.

35.

Ad meam in praedicto libello Curtii imaginem, et dictarium.

Quamvis fata vetant, ut vita secundet amoena
Virtus in melius fata inimica trahit.

Comprobat hoc fortis generoso Curtius ausu,
Magna fides patriae, nec superata suae.
Ille suos etenim propter (fert fama) Quirites,
Pertulit horrendae fata petita necis.

Cernis ut insiliat tristem Cataphractus hiatum?

Antraque deformis permeet alta Stygis?

Utque pios modo flamma calens depascitur artus,

Nominis aeternum postque datura decus?

Ille quidem rapido manet artubus igne sepultus,

Virtus sed nullo est emoritura die.

Ergo viget perpes post tristia funera virtus,

Virtus in melius fata inimica trahit.

36.

In natalem Rdi. P. Joannis Saxonis Societatis Jesu Theologi et serenissimi Principis Caroli concionatoris eximii.

Igne dum coelo Sol lampade pelleret astra,

Atque novum toto spargeret orbe iubar:

Inferretque simul roseis sacra festa quadrigis,

Nomen quae referunt. Jane verende, tuum:

Per iuga Thespiades Heliconis amoena sorores,

Consona sic iunctis verba dedere sonis:

Transige sideribus sospes melioribus, annos

Nestorei properos, sorte favente senis.

Cuius enim sequeris facundae munia linguae,

Illi etiam multis antevhende modis:

Dignior ambiguae pariter superaddito vitae

Falcigeros foelix, aurea lustra dies,

Diffugiant morbi tristissima monstra caduci,

Infestetque truces saeva podagra Getas.

Temperies contra te corporis alma serenet,

Et venas inter sanguis amoenus oat.

Sic validos habeas posthac robustior artus,

Ut tibi cuncta annus det meliora novus.

37.

Threnodia. In obitum magnifici, nobilis et clarissimi viri ac domini, domini Bernhardi Waltheri, illustris I. C., divorum Imp. Ferdinandi I. Maximiliani II. pietissimae memoriae, et Rudolphi II. augustorum etc. consilarii, nec non sereniss. et illustriss. Caroli archiducis Austriae in excelso regimine cancellarii meritissimi etc. extremae pietatis ergo scripta.

Ut quoties pelago surgens Sol aureus alto

Prodit, et aurato terras splendore salutat,

Gaudet ovans sterilis solers reparator agelli,

Spemque fovet dubio venientis tempore messis:

Utque iterum tristes vertit sub pectore curas,

Damnaque nymbiferae perpendit singula noctis,

Cum gravis aërio minitans Aquilone procella

Ingruit, ac tenebris Phoebi iubar obteggit atris.

Sic quos cana fides verae pietatis amore

Imbuit, ac veterum sanctissima dogmata Patrum

Edocet aeternum studio servare tenaci,

Laetitiae plaususque novi, fremitusque secundi,

Falsaque venturi lactabant gaudia fructus,

Lumina Catholicae si quando relligionis

Undique perspicerent radios efferre serenos.
 Illos sed postquam iussa est spes fallere tanta,
 Inque gerendarum medio discrimine rerum,
 Insignem pietate virum, sanctisque verendum
 Moribus: excellens quemque o super ignea dudum
 Evexit coeli Waltherum sidera Virtus,
 Ira ferox Parcae, sic funere mersit acerbo:
 Ingeminant luctum, tenues et questibus auras
 Complent, nec iusti finem squaloris adempto
 Patrono admittunt: moesti quin tristia cuncti
 Certatim resonant Walthero carmina functo.
 Occidit, heu, nostri non infima gloria coetus
 Et decus Austriaca magnum Waltheri in Aula
 Occidit, at terras casu meliore reliquit,
 Praereptusque malis subitis cladique futurae
 Dissidiis dum fissus hiat feralibus orbis,
 Ingreditur coeli patriam, spectatque beatam
 Aeternum victurus humum, nova gaudia captans,
 Aspectu Christi fruitur, complexibus almae
 Insuper et natae, campis florentibus horti
 Horti, quo infoelix fuit olim eiectus Adamus.

38.

Epitaphium.

Hic situs est Walther, coetus solamen egeni,
 Verus et invictae religionis Amor.
 Cuius in augusto fixerunt pectore sedem
 Sacra Themis, Virtus, sancta vicensque fides.
 Hoc experta fuit Fernandi Caesaris Aula,
 Ipsaque Stiriaci Principis ampla domus,
 Carne sed hac putrida, mundo, curisque solutus,
 Incolit Empyreii regna beata Ducis.
 Tu pie qui transis haec forsane busta Viator,
 Dico Waltheri molliter ossa cubent.

39.

Distichon numerale annum, mensem, atque diem obitus continens.

ChrIstlfer Vt MensIs qVIntO se protVLIt orbl:
 CaeLos GVAlterI splrItVs eCCe tenet.

40.

Epitheta sive adiuncta Deiparae, nec unquam humana satis laudatae voce Virginis, quibus passim in sacris literis decora ac illustris redditur.

Fons, rosa, flos, templum, scala, hortus, lilia, porta,
 Urbs, platanus, sydus, sol, luna, cedrusque cupressus,
 Terribilis castrorum acies, turris, speculumque
 Palma virens, et oliva teres, cum vellere, clavis.
 Haec Mariam resonant priscorum carmine Vatum.

41.

C. F. F. F. C. S.

*Magnifico, nobili, clarissimo atque excellentissimo viro
 dmno Casparo Sitnikh, illustri I. C. protonotario Apo-
 stolico, et comiti Palatino aulico imperiali, sereniss. archi-
 ducis Austriae Caroli etc. consiliario etc. dmno et pa-
 renti suo carissimo foelix ineuntis novi anni auspici-
 um, adeoque praeoccupando laetissimum natalem, una cum
 suo patruele Thoma Chrönn, ex animo peroptans, sempi-
 ternam foelicitatem precatur*

Maria Sitnikhin.

Auspiciis iterum sese foelicibus annus
 Ingerit, et toto fulgentior emicat orbe.
 Unde bifrons pandit stridentia limina Janus
 Et celeres emensa polos Phaëtonia lampas
 Volvit inexhausto refluente saecula motu.
 Pallida ni propius, nostris onerata subiret
 Exuviis Phoebe, ac dudum indignata superbis
 Trux Aquilis, tensos arcus, et acynace curvo
 Lethum intentaret nobis, patriaeque ruinam.
 Spes non vana foret, saturnia surgere regna.

Gliscere sed postquam furialibus omnia bellis
 Est visum superis: fati urgentibus annus
 Poscit vota recens, verso quo cardine rerum
 Condantur litui, surgat pax aurea coelo,
 Et terras tandem radians Astraea revisat.

Te quoque sidereis, Pater o dulcissime, signis
 Si qua fides praestanda venit, non omine tristi
 Optato amplexu dives fortuna fovebit.
 Cui bene quadrifidi rutilo temone iugales
 Ostentant faustos fraenis spumantibus ortus.
 Et tranant meliore coma, quodcunque sinistrum
 Obstiterit; planaue via per inhospita saxa,
 Per Syrtes, scopulosque feros, perque horrida Scyllae
 Monstra vehent saluum, magno dehinc culmine laudis
 Conspicuum statuent. Fremat invidus, ore venena
 Tunc iaciat, dentesque sui livoris amarus
 Si poterit, figat. Non spicula torta nocebunt,
 Invidiae nec virus edax tibi damna movebit
 Ulla, sed ingenti Virtutis robore, cuius
 Vivida suxisti maternis semina mammis
 Pervinces rabidos animoso pectore¹⁾ fluctus.

Gratulor hinc tantam genitori blandula sortem
 Et precor, ut laeti qui nunc exordia menses
 Sumunt, sic medio, sic sero denique fine
 Decurrant, omnesque fugent procul inde querelas
 Dextraque continuo volvantur tramite fata.

42.

Tetrastichon ab ipsa memoriter recitatum.

Salve magne parens, genitor carissime, salve
 Et tibi sit pariter mater amoena salus.
 Qui vobis iterum surgit feliciter annus
 Sideribus perpes stet redeatque bonis.

Calend. Januarii anno 1585.

¹⁾ Pod „animoso pectore“ stoji inačica: „adverso in gurgite.“

43.

Gregorio Spasmo in natalem Labaci.

Dum tibi fata novos lucis genitalis honores
 Et revocant vitae tempora prima tuae,
 Grator: et ut coeptis fortuna secundior adsit
 Iugiter, en summum voce lacesso patrem.
 Scilicet ut sacris qui nunc solemnna templis
 Vota tonas mystes inferiore loco.
 Tunc ubi pulchra suos lampas Phaëtonia cursus
 Exiget ac properis mitior ibit equis:
 Munia Pastoris dignus dignissima gestes,
 Et longe niteas fulgidiore gradu.

44.

Georgio Ebenperger in natalem Labaci 1585.

Iam glacialis hyems versis submota quadrigis
 E meliore polo Phoebaeae lampadis; et iam
 Fessa sub algentis nivis alto pondere tellus
 Libera subridet, flos ac revirescit amoenus.
 Et frondent silvae, stant laetis gramina campis
 Divaque foecundis adludit messibus aestas.
 Nam simul ut pratis sese pendentibus ultro
 Invexit cataphractus eques, et viribus acta
 Torquet in horribilem qui tela Georgius hydram,
 Cuncta vigent, sumunt et laeti exordia menses.
 A cuius dum natus habes sacra nomine mystes
 Nomina: iamque iterum decursis mensibus anni
 Anni quem fatis currentem sensimus una
 Propitiis, motuque suo nil triste minantem:
 Mente foves, lucis proprio genitalis honore
 Gaudia Dii longum faxint durantia sospes.
 Gratulor: et memori cum quodnam munus amico
 In tanto festivae lucis honore dicarem
 Pectore versarem: gratantia carmina Musae
 Dictarint: haec metra fero, quae incommoda longe
 Fataque tristitiam grave portendentia pellant.

45.

*In honorem et praeclarissimum actum magnifici et clariss.
 viri dmni Alexii Strauss Labacen Carnioli art. lib. et
 philos. magistri, organi aulici professoris et pro tempore
 archigymnasii Viennensis Rectoris dignissimi, praeceptoris
 sui debita pietate et observantia colendi, cum Idibus
 Septemb. doctoralis eminentiae titulo publice cumularetur,
 gratulatio scripta anno 1582.*

Est locus immenso longe pulcherrimus orbe
 Quo nec quid radians pulchrius aether habet.
 Cui cedunt fulgore suo Peneia Tempe
 Castaliis quondam percelebrata choris.
 Et memorata metris, perfusaque gloria fuco
 Gorgonei montis cedit et omne decus.
 Quicquid Thrax Pindus, colisque biverticis arces
 Nysaeque vitiferax, Cyrrhaque laudis habent,
 Huic accepta ferunt uni, quem mollis Olympus
 Miratur, quamvis iactet ad astra caput.
 Et vos fontigenae, quae luditis omnia Musae

Dum canitis nostro carmina digna Deo.
 Copia si tremulis contingeret huius ocellis
 Possetis niveo vix Helicone frui.
 Cingitur auricomus vernantibus undique silvis
 Puniceasque simul spirat abunde rosas.
 Florida lacteolo splendent prata colore
 Irriguis semper fontibus atque madent.
 Alluit hunc rutila dives Pactolus arena
 Surdaque ad auriferas littora volvit aquas.
 Adde quod exornet dictos sine fraude recessus
 Quicquid sollicitus fingere mente queas.
 Huc inferere pedem non omnibus accidit aequae,
 Sed quibus ingenium cura polire fuit.
 Hinc ne forte cui, vitam qui duxit inertem
 Abiectumve pigri ventris alebat onus,
 Accessus pateant: solers Natura peregit
 Ingens horroni montis ad instar opus.
 Caucaseos hic hic scopulos, scabrasque tueri
 Ire licet rupes vulnificosque vepres.
 Quas in cunque leves flammantia lumina partes,
 Horrida nil praeter cernere saxa datur.
 Lubrica tota via est, nec lato tramite eundum
 Hac sed qua ad summum semita stricta vehit.
 Sanguineas manare decet de corpore guttas
 Haec monstrosa parat quisquis adire loca.
 Ut si quem libeat tanti fastigia montis
 Carpere visa gradu, territet umbra viae.
 Nobilis alta petit labor, et sudore parantur
 Nomen, honos, tituli, gloria, fama, decus.
 Hic Dea iamdudum terris expulsa nefandis
 Iustitiae celebri nomine dicta vetus.
 Exulat et sceleris non exuperabile monstrum
 Deplorat tanti, tristia voce fremens.
 Nec revocatam se longo sic temporis aevo
 Ingemit, et lachrimis ora sacrata rigat.
 Ante alias ergo quoniam celeberrima Nymphas
 Haecce sub indigna conditione ferat:
 Ne luctu exanimis quaerulo torpesceret, ut quae
 Intemerata diu digna vigere fuit:
 Per varias agitata plagas selegit amoenam
 Coelicolis sedem Virga marita Diis.
 Constitit et tandem solio consedit eburno
 Indefessa malis, exilioque truci.
 Emeritas accepit opes pulcherrima regna
 Regna Panomphaeo haud inferiora Jove.
 Irreprehensa solet populo dare iura petenti
 Quamque tenet lancem cuilibet aequa librat.
 Qui tulit invictos, studio minuentem labores,
 Virtutisque sacrae grande cucurrit iter.
 Providus insanae vafrae Amathuntidis artes
 Atque pharetrati fugerit arma Dei:
 Difficiles penetrans aditus, praeruptaque saxa,
 Hac sibi figet ovans in statione locum.
 Hic sudoris erit requies placidissima tersi,
 Atque feret pleno gaudia mille sinu.
 At quibus est luxus et turpis inertia cordi,
 Aut quos imperio saeva libido tenet:
 Festa corymbiferi qui vel coluere Lycae
 Desidia semper dedita turba rudi:
 Arcis inaccessae nulla ratione potiti
 Fulgenti specie fex Phlegetontis erunt.

Tete compello tandem clarissime Alexi
 Tempore cui nullo dicta venena nocent:
 Unde tibi hymnisonae veniunt praeconia laudis
 Quae tibi decernit docta caterva virum?
 Forsitan ascondens salebrosa cacumina clari
 Montis Adrastaei laetitia exuberat?
 Forsan et ingenti superata mole laborum
 Arctae victi damna timenda viae?
 Ut modo liligeros victor formosus oberres
 Quos victrix campos incolit alta Themis.
 Scilicet haec sola est pomposi causa decoris
 Iuridica quo nunc Doctor in arte nites.
 Prima tibi puero fugiens dum floruit aetas
 Jam labor ad tardum ducere coepit iter.
 Artibus edoctum gemino cumulavit honore
 Palladiaque dedit sceptrum superba scholae.
 Et si plura iugo placeat superaddere tanto,
 Nec sit sudoris sarcina lata satis,
 Nunc Astraea potens nodosa volumina legum
 Addit, et assidua iura terenda manu.
 Hoc studiis semper facias flagrantibus optat,
 Exilii vindex sis ut ubique sui.
 Et quia multorum Lethaea oblivio mentes
 Invasere sui, quid Dea, sume, velit.
 Mandat ut aetherea fati dignantibus aura
 Quamdiu pascaris, cura sit una tibi,
 Sacrilegos contra sese tutarier hostes
 Qui sibi perpetuo bella cruenta movent,
 Atque animo maneant quo condita iussa fideli,
 Nobile magnifici munus honoris habes,
 Famosos titulos, famae monumenta perennis
 Iuris supremum praecipuumque decus.
 O fortunati, donis quos talibus auxit,
 Laurigera Empyreo filia nata patre.
 Magnanimosque dedit cordato pectore tandem
 Durum siderei vincere montis iter.
 Ergo cothurnatae ter trinaque numina Musae
 Quae canitis lepidio fortia gesta sono,
 Accelerate gradum, Phariis applaudite sistris
 Ferteque Doctori carmina grata novo.
 Salve Pegasidum decus immortale sororum,
 Et nostris salve, splendida gemma chori.
 Tu quia pertuleris, memorat quos fama labores
 Herculeos, victor sedulitate tua:
 Ambiguas Syrtes Acheloïadumque vicissim
 Cantus Syrenum luseris atque dolos:
 Grato mellitos iam nunc solamine fructus
 Accipe militiae, vir generose, tuae.
 I nunc et partos astris coniunge decores,
 Laus nequit in vili serpente talis humo.
 Ardua coelestis coelorum limina virtus
 Possidet, imperio sunt loca digna suo.
 Non tua tabificus rodet praecordia livor,
 Aegide Iustitiae tela inimica teres.
 Ante suas, leni qui nunc delabitur amne
 Retrogradus liquidas verteret Ister aquas
 Quam tua, quae fixis perstat radicibus alte
 Laus pereat. Perpes gloria Alexis erit.
 Hic tibi vivat honos dum Sol revolubilis astra
 Subiectamque comis irradiabit humum.

46.

*Lamentatio in obitum generosi et nobilissimi pueri
 D. Christophori, clarissimi et strenui Equitis D. Jacobi
 ab Athimis, sereniss. archiducis Caroli consiliarii, cubi-
 cularii et terrae Gradiscae capitanei, filioli desideratissimi
 quô die Deo Sanctorum hospiti animam, corpus autem
 terrae matri reddidisset amoris notiss. ergo tumultuarie
 facta.*

Plangite Iuliades, imo et suspiria corde
 Ducite, nam magni causa doloris adest.
 Et vos o pueri patrum solamina vestrum,
 Quosquos complexu firma Gradisca tenet:
 Agmine lucifluos lachrimarum fundite rivos
 Collecti, teneras imbre rigante genas.
 Non vos prima decet ludendi sueta voluptas,
 Non faciles risus, gaudia blanda, ioci.
 Occidit, heu, vestri decus irreparabile coetus
 Et puer in vestro gemma corusca choro.
 In quo fixa fuit magno spes alta parenti,
 Clarus et agnatae stirpis inhaesit honos.
 Cuius et ingenii potuit vis celsa tenelli
 Multoties sensus aequiparare senis.
 Pallidulus iacet hic, ceu flos grassante pruina
 Decoctus foliis, membraque nulla movet.

Tingite Sontiades rorantia lumina planctu
 Vestraque nil praeter flebile plectra sonent.
 Quantus enim vestri surgens amor ordinis, ipsae
 Cesserit, agnostis de meliore nota.
 Ach, puer hic, quem Parca ferox crudelibus ausis
 In primo vitae limine dira tulit,
 Passibus insistens quondam cum laude paternis
 Alma bonus vestris iura dedisset aquis.
 Sed quae surda piis dictant oracula votis
 Straverunt vegetos fata severa pedes.
 Usque adeo humanos tenuis fiducia casus
 Versat. Sic subito quae valere ruunt.
 Ipse quidem cecidit puerili in flore peremptus,
 Spiritus at melius floret in arce poli.
 Illic certa quies statio peramoena salutis,
 Quae nobis parta est sanguine Christe tuo.

Plaudite iam cuncti fidei quos inclytus ardor
 Tangit: laetitiae causa nitoris adest.
 Nam puer imposito Christum qui nomine gessit
 Iam videt aetherei coelicus ora Dei.
 Praereptusque malis variis, cladique futurae
 Laetos aeterno captat honore dies.
 Salve culte puer numero permiste Deorum
 Et gravis Angelicis associate choris,
 Quique procellosi superato gurgite ponti
 Intrasti superam sorte beatus humum,
 Negligis et foelix vani ludibria mundi
 Ludens hostiles e Phlegetonte minas:
 Haec tibi metra habeas animi testantia amorem
 Et simul aeternum Dive puella vale.

47.

*Distichon numerale annum, mensem, diem atque festum
obitus comprehendens.*

Bis Dena AVGVSTI aC nona praeCVrsor IesV
Ense CaDIt. CaeLos ChristophorVsQVe tenet.

48.

*Epigramma tumulo eiusdem inscriptum in quo sex eiusdem
clariss. d. capitanei liberi, tres puelli tresque puellae de-
positi sunt.*

Gloria, splendor, honos. Athimaeae germina stirpis
Masculum robur, virgineumque decus:
Carolus, Henricus, Christophorus, Elisabetha,
Hoc simul in tumulo Barbara et Anna iacent.

49.

Aliud:

Tres lectos gremio pueros totidemque puellas
Haec Athimisiacae continet urna domus.

50.

Aliud:

Sex Athimisiaca sata condit pignora gente, haec
Tres natas tres et flebilis urna mares.

51.

Aliud:

Tres animo pueros, totidem facieque puellas
Praestantes, maesto haec contegit urna sinu.

52.

Aliud:

Tres patris, ah pueri, tria matris gaudia natae
Magnae Athimisiadum hic contumulantur opes.

53.

*Gratulatio Desiderii Garzonii, Hieronymi filii, discipuli
mei, in adventum illustris, viri et Equitis Mariani Dmni
Joannis Cobenzellii, sereniss. archid. Caroli secretorum
consilarii et camerae praesidentis etc. cum Gradiscam
venisset.*

Nuntia cum nuper nostram pervaserat urbem
Quae fuit adventus conscia fama tui,
Magne Cobenzeli dudum super aethera note
Auspice quo crescit archiducale decus,
Exultavit ovans reducem comprehendere alumnum
At iam patronum Julia terra suum.
Cui quia nunc coram dextram licet addere dextrae
Laetitiae facilem nescit habere modum.
Hinc ego luctu alias squalens genitore perempto
Laetor ad aspectum, vir genere, tuum.
Ut, dum turbata est rerum fortuna mearum
Nec melior reddi te nisi dante queat.
Tu pater aspicias nostros hac clade dolores

Hosque manu praesens auxiliante leves.
Namque potes. Teque hinc tantarum gloria rerum
Ponet stelligeri sede micante poli.

54.

*Ode sapphica, qua magnifico, nobili, clariss. atque excel-
lentis, viro Dmno Casparo Sitnikh illustri Pho. et I. C.
protonotario Apostolico et comiti Palatino aulico imperiali,
nec non sereniss. principis Caroli archiducis Austriae etc.
in excelso regimine consiliario, Dmno et Mecaenati meo
perpetua fide colendissimo se suaque studia penitus Ita-
liam petiturus commendans decenti animi submissione
valedixi 18. Februarii 1585.*

Ode Sapphica.

O decus praestans Heliconis alti
Inclite ac splendor Clarii recessus,
Unde se iactat vitreo susurro
Castalis unda.

Unde se iactant faciles puellae,
Quotquot ad Cyrrhae modulantur hortos,
Mitia ac laetae peragunt amoenis
Fata rosetis.

Unde se iactat Themis alma, cuius
Integer cunctis radios sacerdos
Lucida gestans graviter rubentem
Fronte galerum.

Unde se iactat studio fideli
Caesaris magni generosa proles,
Carolus foelix Styrio supremus
Orbe monarcha.

Unde se iactant patrii penates
Nomen et sumunt stabile ac decorum
Dum tuis stant auspiciis faventi
Sorte beati.

Unde se hae iactant pariter Camoenae
Queis tuo ductu teneris ab annis
Aönis docto scatuere sacri
Fonte liquores.

Quas tibi tandem petiturus arces
Collibus late Euganeis micantes
Palladis cultae solidasque sedes
Solvero grates?

Munerum est tantus cumulus tuorum,
Ut tibi dignas nequeam referre
Gratias verbis, meritis vel aequas
Cernere vires.

Quando nam fatis genitor superbis
Cessit, ac mistus numero silentum
Est polis gaudens sociatus altis
Numine Divum:

Tu parens alter genitorque fidus,
Artibus me, nobiliore cura
Ad Viennenses patria evocatum
Sede dicasti.

Lustra dehinc terna fugientis aevi
Liberali sic aluisse dextra
Vividae clarus studiosa captas
Praemia laudis.

Et novis rursus meritis onustum
Erigis. Nec dum manus ecce larga
Nostra cessat carbasa pressa gratis
Pandere ventis.

Ergo quod turbae sterilis novenae
Quodque sim cultor Charitum coronae
Id tibi acceptum refero, o patrone
Candide, totum.

Millies salve iubar o Camoenis
Splendidum nostris, nitidumque lumen
Cuius ingenti face nigricantem
Vicero noctem.

Cuius iratas opera procellas
Vicero, ac sortis scopulos minantis
Et procul vasto penitus furentes
Aequore fluctus.

Millies salve totidemque serae
Nestoris Soles superadde vitae
En parant belle tibi picta cursus
Astra serenos.

Laxat en Phoebus celeres quadrigas,
Quaeque nocturnos moderatur axes,
Fausta despondet gravido senescens
Cynthia cornu.

Iam vale foelix, faveasque eunti
Integrum sese tibi consecranti,
Hinc tibi aeternis siquidem vigeat
Fama columnis.

55.

*In natalem reverendi et eximii viri Dni Jacobi Haymanni,
Parochi ad S. Martinum prope Crainburgum, Canonici
et Ecclesiastae Labacensis, Dni ac parentis observan-
tissimi etc.*

Mane erat et picto radiantia sydera coelo
Accessu aptabant Solis abire novi.
Ipsaque Tithonis deserto aurora cubili
Ibat in immenso clara rubensque polo.
Sedibus et veniens Polyhymnia lapsa supernis
Ad me virgineos intulit alma gradus.
Haec nos tecta levi somno quatiante tenebant
Labaci antiquo qua strepit unda foro.
Accedensque thorum manibusque innexa iacentis
Impulit: at monitis excitator ipse Deae.
Me simul atque decens subit altae lucis imago,
Maior et humana conditione nitor:
Obstupui timidusque Deae sic labra solutus
Imparibus fudi addita verba modis:
O te quis Divam magnarum encomia rerum

Promentem e superis compulit hucce plagis?
Bellica num Geticas agitant incendia terras?
Vel novus hac nostra fertur in urbe furor?
Ut quae sola potes versas accendere gentes
Eloquio, motu, blanditiisque tuis,
Convulsam statuas rerum faciem ore deserto,
Cunctaque te rigida vindice tuta siant.
Illa sed haec contra; non me ferus huc citat ardor
Martius. aut ullum plectile crimen, ait:
Causa sed hic alia est. Revoluto tramite coeli
En rutilos agitat Phoebus amoenus equos,
Et rapido vehit axe diem tibi nomina quondam
Quae sacra nascenti dive Jacobo, tulit.
Teque Palaestinis, referunt monumenta. sub oris
Vitalis primam lucis inisse viam.
Jordanisque procul puerum vagisse sonantis
Ad ripas bleso ac verba dedisse sono.
Isacidum lepidis igitur reptavit arenis,
Qui senior patriam sanguine tinxit humum.
Tunc ubi dira suos veteris contagia legis
Conflictu premerent religione rudes,
Priscorumque solo patrum pietate fugata
Inversam coleret gens recutita fidem.
Ipse sed ut celebri sanctorum e carmine Vatum
Nascendum agnosset Virgine matre Deum,
Inde sub humana specie vidisset eundem
Ardua miranda signa ciere manu:
Primum mutatas in vina liquentia lymphas
Et toties sicco caerulea pressa pede:
Et gressum claudis, et lucem lumine cassis,
Et functis vitam restituisse bonam,
Incluta coelestis soboles haec edita patris,
Fatur, et ammissae porta salutis adest,
Fervida quem nostrum clamabant vota parentum,
Flammeus ut rorem desuper axis agat,
Imbribus et tandem iustum pluatur aethra solutis
Qui patria pulsos sede reponat avos.
Hunc mihi perpetuo flagrans quaeissem labore
Ardor inest, cupido iussaque corde sequi.
Et tenuit tandem foelix sua pondera votum,
Sidereasque sinu conglomeravit opes.
Vidit, et excepit Christum penetralibus imis
Non secus ac vitreas cervus anhelus aquas.
Saltibus ut fugiens rapidos sua fata Molossos
Errat, et infrendens pervolat omne nemus.
Vel ubi vicino sitientia guttura sole
Usserit aetherei torrida stella canis.
Sic sic divino penitus succensus amore
Accipit herois Virgine dicta sati.
O quater et decies primi genitoribus aevi
Unigenae vero gravior ille Deo,
Lumine mortali tectum quem corpore vidit
Credidit et. Non haec gratia vana fuit.
Hinc duodena sacri meruit pars esse senatus,
Munere quo toto est altius orbe nihil.
Cui data sub coelo est nectendi summa potestas,
Solvendi pariter crimen et omne nefas.
(Nadaljevanje prih.)

Vsebina. *Libellus poematum sive carminum variorum
generum Thomae Chrōnn Labacensis Car-
niolani LL. Candidati.* (Nadaljevanje.)